MEDICAE FACVLTATIS DECANI

HERMANNI FRIDERICI TEICHMEYERI

PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICES PROF. PVBL. ORDINARII, SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL. ET ARCHIATRI ACAD. IMPERIAL. LEOPOLD. CAROLIN. AC SOC. SCIENT. REG. BORVSS. SODALIS

PROGRAMMA INVITATORIVM

DE

RHYTHMIS BASILII VALENTINI

NONVM

DISSERTATIONI INAVGVRALI

DE

MORBO CASTRENSI EPIDEMICO

AB INITIO VERIS ANNI MDCCXXXIV. AD ANNVM VSQVE MDCCXXXV. IN CASTRIS AD RHENVM ET IN VICINIIS GRASSATO

DIE VII. IANVAR. MDCCXXXVI.

HABENDAE

PRAEMISSVM

IENAE FESTO CIRCVMCISIONIS CHRISTI.

LITTERIS MVLLERIANIS.





IN programmate octavo a nobis ostensum fuit, quomodo Chemicorum Naphtha ex Oleo vitrioli & spiritu vini rectificatissimo elaboranda, & per digestionem & destillationem impetranda sit.

Naphtha Chemica vocatur, vel arte facta; ac ita distinguitur a Naphtha naturali, sponte ex petris scaturiente, cum qua tamen diversis in proprietatibus notabiles habet convenientias, id quod ex sequentibus clarius patescit.

Naphtha, tum Babylonica, tum Italica, ducatus scilicet Modenensis, optima rarissimaque inter bitumina fluida, sunt validissimi odoris, quem etiam Naphtha Chemica, præ multis aliis remediis, spirat, & quidem penetrantissimum.

Omnis Naphtha Oleum est & aquam supernatat;

& licet Naphtha Chemica ſpiritus exiſtat, nihilominus, ſuper aquam effuſus, cum ea non confunditur, ſed ſummam aquæ altitudinem evidenter occupat, ſive, quod idem eſt, ſupernatat.

Porro Naphtha Babylonica inter alia id ſibi proprium habet, quod paulo remotam flammam quaſi attrahat ſeque ipſam ſponte ſua accendat.

Naphtha Chemica quoque, a flamma candelæ admota, illico incenditur, & tota per tenuiſſimam conſumitur flammam.

Hæc Naphtha in ſe continet ſubtiliſſimum principium phlogiſticum, tum olei vitrioli, tum ſpiritus vini; ab acido vero penitus nondum eſt liberata.

Interea, cum de ſubtiliſſimo atque volatili olei vitrioli acido participet, odoremque ſpiret ad inſtar ſulphuris accenſi, commodiſſime miſceri poteſt cum ſpiritu tartari & ſpiritu theriacali camphorato, ad componendum bezoardicum illud notiſſimum, quod alias ſimplex ſalutatur mixtura.

Quo vero impetretur hujus Naphthæ Chemicæ ſpiritus ſubtiliſſimus, elaſticus, æthereus & dulcis, acidum, in eo adhuc contentum, ſequeſtrandum & extinguendum eſt, quod additione alcalici cujusdam corporis fieri debet.

Ejusmodi alcalicum eſſe poteſt ſal alcali commune, imo ſal tartari, vel calx viva, ſponte in aere extincta, atque in pulverem inpalpabilem reſoluta. Hocce corpus terreum illico acidum recipit & in deſtillatione detinet.

Reci-

Recipere ego consuevi calcis vivæ, in pulverem resolutæ, partem unam & Naphthæ Chemicæ part. VIII. vel IX. aut X. Calceque infusa in retortam, & mundificato a pulvere rostro, per infundibulum addo Naphtham Chemicam; post hæc Retorta, ad dimidium fere ita repleta, immissaque in Catenum arenarium, adapto huic vas recipiens majus, &, exacte lutatis commissuris, igne moderatissimo destillationem non tantum incipere, sed & absolvere soleo, & sic assurgit subtilissimus & summe elasticus spiritus, odoris atque saporis gratissimi.

Retorta vero ideo eligenda est, quum modo una commissura claudenda sit: Nam hic spiritus volatilis & subtilissimus ubique penetrare & avolare annititur.

Hic spiritus non exiguum in praxi medica usum præstat; est enim anodynum, tonicum, carminativum & Bezoardicum in morbis malignis, & in specie purpura, celerrime agit ob volatilitatem, qua gaudet, maximam.

Et hæc sunt, quæ proponere non dubitavi occasione Dissertationis inauguralis clarissimi & Dignissimi artis salutaris Candidati

CHRISTOPHORI FERDINANDI HOELDERI.

Hic lucem adspexit in celeberrima Wurtenbergico-

Suevica civitate, quæ Stuttgardia audit, anno hujus ſeculi duodecimo. Patre gaudet viro Conſultiſſimo Dn. BENIAMINO BENEDICTO HOELDERO, Regiminis Wurtenbergici Secretario, ac Matre, ornatiſſima fœmina, ELISABETHA, Domini CASIMIRI OBRECHTI, ordinis equeſtris ad Nicerum Conſulentis celeberrimi, filia. Pietatis, morum, linguarum & ſtudiorum humaniorum fundamenta jecit in Illuſtri Gymnaſio Stuttgardiano, ſub moderamine fideliſſimorum & clariſſimorum præceptorum ac Profeſſorum, Domini DREHERI, VITI WEYNHEIMERI, RIEGERI, LENTILII, ſimulque a celeberrimo conſiliario Wurtenbergico D.D. SEEGERO in Anatomicis inſtructus eſt. Anno trigeſimo primo, parentum conſenſu, ſe Tubingam contulit, & a Magnifico t. t. Rectore Dn. CHRISTIANO EBERHARDO WEISMANNO Theologiæ D. & P.P. conſummatiſſimo, in ſtudioſorum numerum receptus eſt. In hoc doctrinarum emporio Mathematicas & Phyſicas viſitavit Scholas celeberrimi CREILINGII & Illuſtris Conſiliarii intimi Wurtembergici GEORGII BERNHARDI BVLFINGERI; in moralibus vero diſciplinis ab ore Dn. P. ROESLERI, & in Metaphyſicis Dn. P. MAICHELII pependit. Mente ita & rite inſtructa, ad ſalutarem ſe accingens doctrinam, interfuit Excellentiſſ. Dn. P. P. ALEXANDRI CAMMERARII recitationibus, quibus inſtitutiones medicas, Phyſiologiam & rem herbariam explicuit. Poſtea, ulterius progrediens, Excellentiſſimum Conſiliarium & Archiatrum Wurtembergicum MAVCHARTVM in Anatomicis & Chirurgicis, Excellentiſſ. Dn.

Conſi-

Consiliarium & Archiatrum Wurtembergicum ELIAM CAMMERARIVM in Pathologicis & Diæteticis audivit.

Anno trigesimo secundo intimiori traditus est inspectioni Candidatus noster Excellentissimi Consiliarii & Archiatri Wurtembergici Dn. IOHANNIS WENDELINI BVLFINGERI, qui eum informavit ad ductum scriptorum Illustr. HOFFMANNI, Hallensis. Anno trigesimo quarto, Salanam nostram salutavit, & a Prorectore t. t. Magnifico Dn. IOHAN. REINHARDO RVSIO, Theologiæ D. & P. P. O. consummatissimo, in numerum studiosorum fuit receptus.

Hac in musarum sede frequentavit lectiones Magnifici Dn. Prorectoris & Consiliarii Aulici HILSCHERI Chemicas, Diæteticas & de methodo præscribendi formulas medicas; Illustris Cons. aulici & archiatri WEDELII de methodo medendi; Illustr. Consiliarii Aulici HAMBERGERI Therapevticas; Excellentissimi, nunc Professoris Regii academiæ Götttingensis, D. D. SEGNERI recitationes Pathologicas, quorum omnium solidam atque fidelem institutionem pia & grata mente colit. Tandem & mihi se probavit, dum in Collegiis Physicis, Botanicis, Medicinæ legalis, Pathologicis, Practicis & Anatomicis assiduum se præbuit auditorem, ac in trium Cadaverum humanorum sectionibus, & demonstrationibus publicis spectatorem diligentissimum.

Confecto studiorum suorum curriculo, dignus utique videbatur, cui ad consueta examina aditus aperiretur, in quibus etiam omnibus spem facultatis abun-

abundanter adimplevit. Reſtat nunc diſſertatio inauguralis de MORBO CASTRENSI EPIDEMICO *ab initio veris anni 1734. ad annum 1735. in caſtris ad Rhenum & in viciniis graſſato*, quam ſub Præſidio Magnifici Dn. Prorectoris die VII. Ianuarii defendendam in ſe ſuſcepit.

Ad hunc actum ſolennem Magnificum Dn. Ex-Prorectorem, Illuſtriſſimos S. R. I. Comites, Academiæ Proceres venerandos, hoſpites omnium ordinum honoratiſſimos ac florentiſſimam generoſisſimorum & nobilisſimorum commilitonum coronam perofficioſe & benevole, collegii medici nomine, invito. P. P. Ienæ Feſto circumcisionis Chriſti M DCC XXXVI.

